



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quod in dicendo adhibendum sit iudicium. Cap. XLVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

nes episcoporum ac sacerdotum ad populum; quia ut inter patrem & filium, ita inter sacerdotem & populum haberi debet sermo: et in illis sermonibus quaedam simplicitas, & familiaritas à charitate profecta, debet apparere. quæ familiaritas cognoscitur, cum sic videtur scripta homilia, ac si in magna quadam domo, pater familias ad familiam admonendam assurgeret; nec ij, à quibus habebantur, longa utebantur oratione, cum mos diuidendi sermones in duas aut tres partes, apud veteres, quod sciamus, non fuerit receptus.

Quòd in dicendo adhibendum sit iudicium.  
Cap. XLIIII.

**H**AEC autem omnia, & multo plura, quæ dici possent, facile assequetur orator, si iudicium, quod condimentum orationis, & actionum omnium humanarum est, in dicendo adhibuerit; & illa verba S. Hierony. qui ecclesia fuit doctor grauissimus, in animo suo impresserit, atq; ad se pertinere maximè existimauerit. Doctor ille grauissimus, concionatorem quendam laudans, hac utitur laudatione minimè vulgari, sed egregia admodum: Nec ad instar, inquit, imperiti medici, vno collyrio omne vulnus curare, sed per singulas ecclesias, vulneribus medetur illatis. Quare iudicij regulas, quas vir sanctitate & doctrina eximia insignis tradit S. Antonius Archiepiscopus Florentinus, obseruet orator. Diligenter inquirat mores, et præcipua vitia illius ciuitatis, oppidi, aut loci, vbi sermones habiturus est. ut enim inter homines reperiuntur alij, qui magis sint procliuēs ad libidinem, alij qui ad auaritiam, quidam qui ad vindictam; ita etiam  
qua-

quadam ciuitates ad vlciscendas iniurias magis, quàm ad luxum, quadam potiùs ad luxum, quàm ad homicidia patranda sunt procliuës; & idcirco non idem vbiquè collyrium semper est adhibendum. Non sunt recitanda conciones ex scripto, neq; eadem ad verbum, postero anno repetenda: diuersitas temporum, si studium & iudicium adhibeatur, noui aliquid subministrat. De oratione Ecclesiastica, deq; eius natura, & qua ratione orator Ecclesiasticus possit dicere; item qua ratione seipsum disponere debeat ad dicendum, iam exposuimus, vt potuimus; reliquum est, vt de ordine siue dispositione orationis, dicamus.

Quo ordine disponendus sit sermo, siue cōcio.  
Cap. XLV.

**O**RDO est dispositio & conuenientia partium, pulchritudo rerum omnium, ac veluti anima, sine quo nihil pulchrum dici potest. Pulcherrimus dicitur mūdus, quia eius partes mirabili nexu coniunctæ; pulchrum animal homo, quoniã mirabiliter eius partes dispositæ sunt; pulchra etiam ea dicitur oratio, pulcher sermo, qui, veluti corpus, multis inter se aptè coherētibus partibus constat. quamobrèm amandus est, & quærendus in omni vita, atq; in omni actione, hic laudabilium omnium rerum pater memoria magister, ordo, Christiano præsertim oratori: qui nihil aliud sibi proponit, nisi ordinem charitatis in animis hominum imprimere. non multum enim prodesset is, qui in alijs omnibus ad orationem spectantibus, excellerent, si hac vna dispositionis virtute carerent. Illa distinctio, quam asserre soliti sunt quidam Rhetores,

O 4

partium